



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.10. Sacramentorum abusus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

amoueret, quibus homines sacrilegè abutuntur? At tam immense bonus est, ut sacramentum pœnitentiæ adhuc ei offerat in salutem, qui centies sacrilegè confessus est; ut dum saltem in vltima confessione, ferio retractat sacrilegas suas confessiones, veniam misericordiamque consequatur.

X.  
SACRAMENTO-  
RVM ABVS,

Incredibilia videor dixisse; sed ostendam esse verissima. 1. Cum omne sacramentum sit signum visibile practicum rei inuisibilis, seu gratiæ, quam confert, id quod ad gratiam conferendam est institutum, adhibent ad gratiam destruendam, quoties per baptismum, per chrisma, per mille sacramenta temerè, impiè, iactanter blasphemant; illi nimirum, qui Redemptori suo ipsum sanguinem & vulnera exprobrant. 2. Baptismum non solùm in sui condemnationem accipiunt, qui minimè Christianè viuunt; sed sunt, qui infantes aut omnino priuent baptismo, aut in ipsis quoque cacodæmonis nomine baptizent. 3. Confirmationem nec quid sit quidem sciunt multi; aut nimium differunt. 4. Eò progressa est ignorantia, ut extrema vntio, quæ non solùm animam roborat ad extremum agonem, sed sæpe etiam, ut

D. Ia-

D. Iacobus ait, infirmum alleuiat, vulgò existimetur homines occidere. Idcirco enim horretur, quia putant, eum, qui vngitur, vel idcirco moriturum: quasi mors ab oleo, & non à morbo veniat. 5. Sacerdotium, quàm res sancta & diuina, quàm angelis propinqua? quanti autem eo sacerdotio abutuntur, vt nemo magis vacet otio, ebrietati, impuritati, scandalis? Quantis Simonijs sacerdotia, & toti Episcopatus venduntur, emuntur? Sed ferè tanta hìc sunt vt, præstet tacere. 6. Tacebo matrimonia falsò promissa: adulterijs violata, viuis coniugibus cum duobus, tribus, pluribus inita. 7. De Confessione non est tacendum; ea pœnitentes vti possunt, tamquam secunda post naufragium tabula. At quàm multi grauissima peccata tunc tacent? quàm multi numerum, & speciem non exprimunt? Ah pudet dicere! Aliqui confitentur sacrilegè, vt Confessario placeant, vt per eum commendentur, ac promoueantur? Potest Confessarius dare testimonium Confessionis factæ: at qui testimonium ab eo aut commendationem petit, quàm stultus est, si id petat, de moribus & pietate? Non potest enim Confessarius

Confessarius eum, cuius confessionem audiuit, ex hac scientia reprehendere, debet ergo necessario vel nullum dare testimonium, vel eum commendare. Suspectum itaque haberi potest tale testimonium. Et nec ipse Confessarius bene agit, si tali ex causa confitentem ad matrimonia, vel alia officia splendida promouet. Multoq; minus credendum est illis poenitentibus, qui se jactant, leuem poenitentiam à Confessario iniunctam accepisse, quasi leuem dumtaxat meruissent; cum constet eos impurissimos esse, ac flagellis, cilicijs, grauissimis poenitentijs dignos esse.

XI.  
SS. EV-  
CHARI-  
STIAE AB-  
VSVS.

Quid quod 8. Ipsa SS. Eucharistia, res, omnium sanctissima, mille modis violatur, inhonoretur, contemnatur? Nam eius cultum alij omnino negant; alij non aestimant; alij peruertunt, atque in ignominiam mutant. Instituta est in memoriam passionis Domini, vt inde diuinam bonitatem memoria recolentes, in amore eius crescamus, & ad gratiarum actionem accendamus, dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui multi non in memo-

I Cor. II.  
26.

memo-